DISSERTATIO INAVGVRALIS CHIRVRGICA

DE

HERNIA CEREBRI

QVAM

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA

OBTINENDO

PVBLICE DEFENDIT

DIE XIII. APRILIS CIↃIↃCCLXXXXII

PETRVS HENRICVS THIEMIG

BREMENSIS

GOTTINGAE

LITERIS BARMEIERIANIS.

PATRVO OPTIMO

H. M. DE LINDE

MERCATORI CELEBERRIMO
HAMBVRGENSI

HASCE

STVDIORVM PRIMITIAS

PIA MENTE CONSECRAT

OBEDIENTISSIMVS AVCTOR

Hernia Cerebri, Encephaloceles quoque nomen induit: et hoc quidem ideo, quod aliorum affectuum, ex aliis corporis partibus originem trahentium, maxima gaudet ſimilitudine: quorum genera mala, pariter tumorem efformant, licet ſedes eorum diverſae ſint.

Quis enim eſt, quem lateat, viſcus quoddam e cauitatibus conſuetis proruptum, cum integumentis corporis communibus tumorem formans, Herniae nomine inſigniri? eam ob rem Herniam pectoralem et abdominalem inuenire licet. Cui tumori partis eidem inhaerentis ratione habita, cum parte contenta nomen commune eſt: ſi, v. c. tumor a parte inteſtinorum prolapſa effingitur, tunc Enteroceles nomen obtinet; cum e contrario, ob

partem Omenti huic adhaerentem, Epiploceles compellatio tribuatur necesse sit: sic etiam tumor, pulmonis partem includens, Hernia Pulmonalis dicitur.

Hic Hernia Cerebri praesente, portio Cerebri cum membranis propriis hanc circumdantibus, e cauitate sua, ab ossibus cranii conformata, per foramen praeternaturale prorumpit, vsque ad integumenta capitis externa penetrans, haec attollit, ita vt tumor oriatur, sed non solum hic tumor in osse bregmatis, seu laterali, sed et in osse occipitali notatus est, immo Cerebrum per suturas, raro quidem per fontanellas se protrusit. Tumor iste pro ratione partis in eundem se immittentis, vel minoris, vel amplioris voluminis esse potest.

Ceterum alia adhuc tumorum genera, quae Herniae Cerebri non sunt, in capite oriri posse, nemo est, qui ignoret. Cum vero confusioni cum vera Encephaloceli facillime locus esse queat: experientia quidem

dem nos edocet, ad ſigna diagnoſtica animi aduertentiam intendentes, eadem cum hac non tam facile permutari poſſe: tamen hic quaedam adducere non inconueniens reputo datur.

I. Tumor Capitis compreſſione externa ortus: quodſi caput infantis, per longum tempus in carceribus oſſis pubis inhaereſcit: aſt eum tactu et colore facile diſtinguere valemus: maior ſcilicet eiusdem eſt durities, et color mox fuſcus, mox ſubaquilus mox nigricans apparet, propter ſanguinem coagulatum emicantem: tumori exteriori compreſſione expoſito, nullum omnino cum Cerebro conſenſum ineſſe obſeruamus.

II. Tumor lymphaticus: etiam Hydrocephalus partialis nominari ſolitus non facile tamen hunc peruerſa diiudicare poſſumus, quia raro per ſe ſolus, ſed fere ſemper cum Hydrocephalo connexus adeſt, et tactu adhibito fluctuatio perſpicua ſentitur.

III. Tumor ſuppuratorius: verum ad hanc puris colluuiem probe diſtinguendam, ſigna huic abſcreſſui propria, ſemper ſeſe oſtendunt: praeſertim tactus Herniae Cerebri diſcernendae, ſignum certum et indubitatum rurſus nobis exhibet.

IV. Genus Tumorum exſtat, quod Fungus Cerebri nominatur, hic tumor a dura matre ortum ducit, huius tamen ne vlla quiqem mentio a me foret facienda, nam modus orignis, et ſymptomata huius mali propria, nos extra omnem dubitationem collocant, quin iſtum Herniam Cerebri non habeamus: hic praecipue non in infantibus recens natis ſed in adultis tantum locum inuenit. Huc, tumor quidam a Celeber. ACRELLIO *a*) in caſibus Chirurgicis memoratus quem fungum cancroſum nominat, referri poſſet.

Is ex ictu capiti illato natus, longo poſt tempore, eo ipſo in capitis adfecti loco, ſeſe

a) ACREL Chirurgiſche Vorfälle Tom. I. p. 36.

ſeſe efformabat, ille tumor volumine magis magiſque auctus, tangenti molliorem ſe praebet: conſenſus cum Cerebro manifeſte obſeruari poterat, quia Cerebum cum inſpiratione deſcendit, cum exſpiratione vero aſcendit: quippe qui tumor tum magnitudinis, tum mollitiei, de die in diem incrementa capeſcens, tandem aperturae commiſſus eſt, ſed haud multum Temporis efluxit, quo miſer animam efflauit.

De vera Hern. Cerebri, in infantibus recens natis ſolummodo oriente hic loquar, idquod ex ſupra relatis jam ſatis luceſcet: equidem Hernias Cerebri in adultis experientia teſte, quoque dari poſſe, nullus dubito. Sic etiam Illuſtr. RICHTER in praelectionibus ſuis nos docuit, duo Herniarum genera exiſtere alterum in infantibus recens natis, alterum in adultis, vbi ſcilicet Trepanatione oſſis pars amiſſa fuerit. Natura quidem mirabilem efficaciam ſaepe exſerens, integra oſſa reſtituit, interdum etiam aperturam praecludit: aſt haec iuſto

amplior facta, quidem praecluditur; raro autem tali ossium materia repletur, sicut antea erat, plerumque carnea et tendinea membrana contegitur, ita vt Cerebrum facillimo modo prorumpere et hanc et integumenta capitis externa in tumorem vertere valeat. Quibus tumorem, de quo *a*), Celeberrim: DONALDUS MONRO narrat, adnummerandum censeo. Is in capite apparebat, in eo pulsatio manifesta sentiebatur, tumor externae pressioni expositus, aegrum animi impotem omnibus sensibus exuit; accurata indagatione instituta, in osse CRANII apertura erat, qua Cerebrum se in altum extulerat: ille tumor aneurisma habebatur, quod in cauitate CRANII se generasset, os paulatim cariosum fecisset, et tali modo perforasset: sed ignarus, quid de tumore faciendum esset, illum aperire nemo audebat, vsque demum miser ille e viuis auferebatur: Sectione post mortem instituta,

a) RICHTER Ch. Bib. Band. 2. p. 163. Medical Transact. Vol. II.

instituta, hunc ex portione substantiae Cerebri dura matre etiam contecta constitisse, et nullo in loco vasa sanguifera dilatata reperta sunt.

Alterum genus Herniar: Cerebri in infantibus recens natis oriri consuetum in duas species diuidi potest.

a. Vna Spec. Cerebrum ipsum in se comprehendit. et

b. Altera Spec. Medullam Spinalem in se complectitur: omni iure fatendum est, spinam Bifidam: sic nominatur tumor qui in vertebris, tam colli, quam dorsi, et in lumborum regione reperitur: etiam ad hanc Herni: Cerebri numerari opertere. Nam medulla spinalis omnino continuatio Cerebri est, et eodem modo, quo Cerebrum thecae suae includitur.

Non desunt quoque exempla, tam Herniam Cerebri, quam Spinam Bifidam, in

infan-

infantibus, iam iam in lucem editis ſimul obſeruatas eſſe; huiusmodi caſus memoratu digni LECHELIO occurrentis *a*), CORVINVS in Diſſertatione ſua mentionem facit. Ille in infante recens nato, duos tumores obſeruauit; alterius tumoris in occipitis medio inſignis magnitudo erat: alter Spinae Dorſi inſidebat.

Porro datur Hernia ſimplex et compoſita *Hernia ſimplex* nominatur, ſi tumor Cerebrum tantum, aut medullam ſpinalem complectitur, quem caſum non frequentem nemo praeter TREW adducit *b*).

Hernia compoſita, ideo tale nomen ſortitur, quia tumor, Cerebro et medulla ſpinali exceptis, adhuc colluuiem ſeroſam maioris aut minoris copiae continet; et Hydro-encephalocele nominari poteſt. Sic etiam humorem ſeroſum, in ſacculo ſibi deſtinato inclu-

a) HALLERI Chirurg. Diſſ. p. 339.

b) CORVINI Diſſ. de Her. Cerb. §. VII. Hall Ch. D. l. c.

inclusum, et inde tumorem cysticum in eo contentnm fuisse notatum est. Ad Sedem Heru. Cerebri quod attinet, huius in *lateralem* vel *verticalem* et in *occipitalem* diuisio facta est.

Quod Diagnosin concernit, cum aliis tumoribus tam facile confundi nequit: dummodo Signa diagnostica obseruemus quae sunt sequentia.

a. in capite tumorem manifestum reperire est.

b. tumor aut illico in partu, aut statim post infantem in lucem editum se exhibet.

c. tumor ea in capitis regione, quam Cerebrum includit, reperitur: in osse scilicet laterali foramen praeternaturale insitum est, per quod Cerebrum penetrat: qui casus pro opinione obseruatorum omnium frequentissime euenit.

d. tumoris cum apertura vna eademque ratio est.

e. tu-

e. tumor vbi tactus fuerit, mollis sentitur: eidem lympham continenti fluctuatio imminet.

f. color cutis naturae conueuiens, et unlli mutationi obnoxius inuenitur.

g. in radice tumoris ossis margo conspicuus est.

h. tumor ubi comprimatur, symptomata soporosa e. g. Paralysin et Apoplexiam etctr producit.

Quanta fortuna nobis fauet, Encephabocelen non crebro occurrere, cum huius origine non satis instituti sumus. Caussas vbi spectaueris, proh dolor! lugendum est, tam de his, vti iam supra commemoraui, quam de origine huius mali, non multa certa dici posse.

Experientia testari videtur, Herniam Cerebri in infantibus primam lucem asspicientibus saepissime nasci solere: ast hanc etiam aut partu durante, aut eo finito oriri posse, nil mihi dubii est: qua opinione addu-

adductus, caussas in *internas* et *externas* me diuidere non incongruum reor.

Quodsi Cerebrum, per foramen praeternaturale siue in osse laterali, siue in osse occipitis proruptum sit, tunc veri non absimile est: sicuti omnes obseruationes allegatae indicant, vitium primae conformationis, proximam caussam haberi.

Ossificationis defectus manifestus apparet: quomodo enim alias, in vno eodemque loco, foramen praeternaturale sese efformaret: ossificatio impedimento quopiam hic interueniente quodcunque demum fuerit, aperte impedita videtur.

Qnam difficile vero est, veras causas indicare, quae impediunt, quo minus ossificatio non perfecte se efformare queat? quam difficile nobis est, naturam, interdum in conformando non semper aequali modo agentem, indagare? quoties enim conformationis defectus, mox hic mox illic reperiuntur? Felices essemus, si

animi

animi noſtri intenſio, ad imum penetraret, vt non pauca, nobis tam obſcura, oculisque noſtris tam abſcondita eſſent: aſt quaecunque, a nobis inueſtiganda, ſoli praeſumtioni innituntur, quem ſcopum noſtri indefeſſi ſtudii, plane non eſſe conſtat. Sola, inquam, praeſuntio eſt, ex qua concludimus, conformationem defectuum non immunem, ex vitio vel a patre, vel a matre progerminaute, gigni poſſe. Oſſificationi impedimentum quoddam adeſſe, ex ſequentibus illuceſcit. Oſteogenia foetus nobis oſtendit, oſſificationem iam mature in utero materno incipere: docuit nos, puncta oſſificationis in nonnullis cartilaginibus longe prius ſe eſſormare, quam in aliis; quemadmodum incrementum oſſis diuerſnm, et non ſemper eiusdem rationis eſt. Itaque oſſificatio, vt liquet, plerumque in medio curtilaginis arditur, an haec in finibus oſſis Cranii hic primum non oriatur, et impedimento quodam prohibeatur? ne materia oſſiaria, vndique per omne os Cranii ſe dilatare queat: nam

vti

vti ſatis perſpectum eſt, materia oſſiaria per vaſa, ex perioſteo, cartilaginem circumdante, tranſeuntia, in cartilaginem infertur, et punctum oſſificationis efformatur, a quo materia oſſiaria ſicut e Centro quodam vndique diſpergitur. Nonne ſupponere poſſumus, huic diſperſioni impedimentum obſiſtere? quo efformatio, partis in os euadentis cohiberetur, et ſi hoc fieret, efformatio Cerebri, efformationem oſſis praeueniret, et ſe in altum attolleret.

A lympha ex Cerebro enata tamen ſub dura matre adhuc exiſtente, preſſio, et quidem in quodam loco, ſumma cum vi produci poteſt, ita vt vaſa nutrientia, quae os efformare debent, tanto vigore comprimantur, vt ad nutritionem, et ad vlteriorem efformationem oſſis nihil amplius conferre poſſint, propterea in functionibus ſuis omnino turbentur.

Cerebrum eo in loco in altum ſe erigit, vbi reſiſtentiae minimum inuenit, quem locum ſi reperit, preſſio dein ceſſat, lymphaque extrauaſata vna cum cerebro, in

tumorem praeruptum ſe recipit: ita vt oſſificatio, in vtroque oſſis fine nunc ſuccedat, ſicuti forte euenit: verum omni ex parte oſſis, materia oſſiaria propagari nequit; quod Cerebrum tumorem modo format, quo foramen praeternaturale iam oriri neceſſe eſt.

Haec cauſſa vt praeſumtio ſolum accipi poteſt, quam etiam refutari poſſe, facile intelligendum eſt: itaque hic obiicere nobis non vetatur, cerebrum quoque alia in parte, vbi haud validam reſiſtentiam invenit, prorumpere poſſe, iis nempe in locis, in quibus fontanellas infantum reperimus: aſt hic reſiſtentiae ſatis, membranae enim, fontanellae appellari ſolitae, Cerebro erumpenti obicem ponere valent, quia hae natura ſat fortes, in ſuo incremento turbatae non ſunt.

Quae praeterea adhuc cauſſae, deficientis oſſificationis promouendae capaces acceptantur, tamen ſcriptorum plurimi eo tendunt, affirmantes, materiam arthriticam, veneream rachiticam matris, plurimum

mum ad hunc defectum posse conferre: has acrimonias interdum materias peccantes esse, non negandum existimo: si alii adhuc morborum affectus in infantibus obseruentur, et non solum hoc vitium locale adsit, tunc hae frequentissimae caussae mihi videntur.

Caussis occasionalibus imaginatio adhuc adnumeranda venit. Reiselii et Salzmanni historias legentes, fortasse huius imaginationis vi caperemur, et quidquam de ista habendum putaremus; quam penitus reiicere incongruum foret, imaginatio enim, sensorio communi imposita, qua animus grauidae quotidie occupatur, in foetum forsan agere potest: quam multa exempla adsunt, infantes variis cum deformitatibus esse genitos, in quibus mater, harum orientium modum, a terrore, imaginatione deprauata, et nimium intensa deriuat. Sed ex his ipsis caussis occasionalibus istud mali nasci posse, aenigma mihi est: prolixius autem hic agere, inconsul-

tum videtur, praeſertim medicorum plurimis, hanc imaginationem; non tam potentem habentibus, vt iſtius potentia in deformitatem et deſtructionem foetus, aliquid inferre valeat.

Ad cauſſas externas praecipue referuntur, Vis, aut aliae Laeſiones externae, matri grauiditate durante illatae: ex grauidis laeſis mala progigni, non vllus eſt, qui dubitet, ex his naeuos praecipue oriri, illuſtr. Acrelli car. Chirurg. teſtantur. — Hic quoque non obliviſcendum, Herniam Cerebri naſci poſſe, capite infantis iuſto diutius in partu ſe habente: videlicet receptum eſt; Cerebro foetus, in vtero materno adhuc praeſentis, lympham quandam ineſſe, defectum quempiam partis oſſis ſiue Cranii producentem, tumorem vero, quacunque de cauſſa nondum formatum eſſe, tum quidem ſub ipſo partu difficili iuſto longius in oſſium pubis regionem capite impacto, tunc ob niſus matris, quibus foetum excludere tentat, partem Cerebri, per

foramen

foramen illud in osse relictum demum prorumpere posse.

Iam vero alias, quibus locus relinquitur, caussas hic adducere superfluum puto, hae enim certe lectori sufficienter cognitae et superuacaneae sunt.

De huius mali symtomatibus, vnum verbum solummodo faciam. Quodsi tumor *lateralis* non valde ingens, non propendens sit, et si margo ossis clare sentiri queat, tunc experientia docet, symptomata nullis ponderis esse.

Tumore igitur alto, voluminis amplioris existente, eodemque dependente symptomata maligna interdum praecipue hoc frigori exposito, oriri obseruatum est: Infantes huiusmodi inquieti continuos fletus edunt, conuulsionibus obruuntur, paralysi laborant. hi etiam post natiuitatem raro diu viuunt, et mors miserrimae eorum vitae, mox finem imponit: his quoque in rebus, infantes recens nati, numquam ex

commodo ſugere poſſunt, propterea etiam macri, ſiue plerumque paulo poſt natum macreſcunt: ſymtomatibus febriculoſis, Diarrhoeis aliisque ſimilibus malis eadem comitantibus, ſemper ſubiacent, nil igitur miri mortem, ſtatim poſt natiuitatem hos viuis eripere. Encephalocele *occipitalis* peſſima ſymtomata ſecum ducit.

Prognoſis vbi ſpectetur, haec, vti quisque expraecedentibus iam valet cognoscere, haud ſemper eſt optima, tamen praecipue ea, quae ſequuntur, conſideranda ſunt.

1. Si Hernia Cerebri *lateralis* mediocris et parua. ſi tumor vel nihil, vel parum lymphae extrauaſatae in ſe contineat, ſicut is frequentiſſimus caſus eſt, tunc hic maxima ſpes ſanationis nobis arridet.

2. Si Hern. Cerebri *occipitalis* in nuchis, inſigni magnitudine et propenſa ſit, multum lymphae in hac reperiatur, tunc non multa ſpes, infantem ſanandi, et alendi nobis ſupereſt.

3. Si

3. Si Hern: Cereb: in tali infante paucis vitae viribus valente, inflammatione externa corripitur, tunc sem per periculum imminet.

4. Lipothymia, Atrophia, Conuulſiones, mortis praenunciae ſunt.

5. Tumor in exulcerationem diſcedens, ſemper ſignum lethale eſt.

Ad Curam nobis peruenientibus, eorum, quae ſequuntur, ratio habenda et curatio ſemper ſecundum has duas praecipuas Indicationes inſtituenda eſt. Prima igitur Indicatio eſt. Cerebrnm in receptaculum conſuetum, e quo egreſſum eſt, reponendum, et lympha in tumore inſita, ſibi ad reſorbtionem vel relinquenda, vel diſſipanda aut euacuanda eſt.

Omnibus ideo in Herniis, primus Medici conatus eſt, egreſſas partes retroducere.

Quodſi vero tumoris magnitudo iuſto maior eſſet, ſupraque oſſis marginem penderet, omnis curandi ſpes nobis foret adempta: vbi Cerebrum eundem in locum, in quo antea erat, preſſione hic reducere tentaremus, tunc iſtud oſſis margine, a ſe contecto, irritaretur, et comprimeretur, vt ſequelae inflammatio et mala ſymptomata forent, tunc exulceratio imminens, mortem rerum omnium finem produceret. Nullam curam hic ſuſcipere valentes, tumori a frigore externo, et preſſione tuendo, nos acquieſcere oportet, quem in finem Tegumentum quoddam tumori, ne nimium dependeat, ſuffulciendo idoneum applicemus.

Hernia ſolum, ſicut haec ſupra notata eſt, mediocri aut parua exiſtente, leni, et paulatim aucta preſſione, Cerebri reductionem ſuſcipere poſſumus: verum preſſio illata, ſummam attentionem, poſtulat, vt, ſi vel lato vngue fortior fiat, peſſima ſtatim ſymptomata Paralyſis, Conuulſiones, Lipothymia

thymia, Apoplexia etc. naſcantur: ſubito et vna vice preſſio numquam peragenda, ſed haec ſenſim ſenſimque, eum in modum augenda eſt, vt numquam mala ſymptomata obſeruentur: nam ſi infans, parum tantum ſoporoſus fiat, tunc compreſſio nimium valida eſt.

Compreſſio ſequenti ratione inſtituenda eſt. Totus tumor tenuibus fibris e linteo extractis contegatur, poſtea ſubtilis lintei complicatio (Compreſſe) vinculo adſuta, huic ſuperimponatur, et preſſione methodica, cum aut ſingulo, aut alterno die, vinculum aliquanto intenſius attrahatur, tumor progrediente tempore reponatur. Preſſionem quoque lamina, pro magnitudine tumoris cauata, conficere poſſumus: ne haec Cerebrum irritet, et huc illucque ſe iactet, vel linteo rupto, vel alia quadam ſubtiliori materia infarcienda, vel vinculo vel mitrae alliganda, et hoc ligamine tumor vinciendus eſt.

Ad Cerebrum reponendum vero temporis multum requiritur: quia ex hac pressione continua; inflammatio et exulceratio semper lethales, facile progigni possunt, ad has praecauendas Vinculum remediis antiph. aqua Goulardi, Sp: Vini, Acet., humectandum est: his medicamentis sequelae mortiferae abiguntur, simulque integumenta externa roborantur.

Hernia autem lymphae per multum in se continente: curae radicali tamen conveniens et consultum videtur, istam prius euacuari, quam Hernia reducitur: et lymphae euacuationem felici interdum cum euentu successisse, experientia MORGANNI TREW et HELD testes sunt *a*).

Lympha enim tumori inhaerente, pressio in Cerebrum permultum agere non potest, et istud magis magisque ab illa laxatur.

a) HELD Dissertatio de Hern. Cereb. Giessae 1777.

RICHTER Chirurg. Bibl. Tom. IV. p. 567.

xatur. Medicamenta aperturae inferuientia commendata ſunt, Cauſtica et Lanceola: priora obſeruatorum omnes vno ore disſuadent: poſteriora quamuis infauſto cum ſucceſſu ſubinde adhibita ſint, exempla tamen exſtant, lympham euacuari quin mors incidat, dummodo aer irruens arceatur.

Quia autem lymphae euacuationem durantem, ſymptomata infeliciſſima, et mors ſaepe ſecuta ſunt, nonnulli ſuaſores nobis fuerunt, vt in lympha euacuanda, non ſecus ac in Paracentheſi abdominis a nobis fieret: nempe aqua non ſemel et ſimul, ſed repetitis vicibus vt euacuaretur: hunc procedendi modum, praecipue HOFFMANN et ALPINVS laudant *a)*.

Si aquae non multum tumori adhaereſcat, euacuatio illius minus neceſſaria mihi videtur, quia experientia nos docet, aquam durante preſſione paulatim diſſipatam, et ſenſim ſenſimque perditam eſſe: Repoſitione Cerebri feliciter peracta, ſecunda

a) HALLER Ch. Diſp. p. 346.

cunda Indicatio praecipua se nobis praesentat: quae haec est, Ossis praeclusio promoueatur.

Quodsi causam quandam matris, e. g. materiam arthriticam, scrophulosam, rheumaticam, rachiticam, omnes suos in ossa effectus producere valentes exploremus, contra has caussas agendum est: quia mater infantem lactat, et hic pars matris habetur, Curatio huius et infantis non est negligenda.

Quas causas Medicus respiciens, forte quidquam ad aperturam ossis praecludendam praestare potest, ceteroquin naturae relinquitur: et apertura cuiuspiam materiae lamina tegitur, forsan natura hanc, temporis lapsu praecludit.

Tantum.

T H E S E S.

I. *Erronea atque inadaequata eſt, diuiſio febrium in malignas et benignas.*

II. *In Dyſenteriis Clysmata mucilaginoſa non nocent.*

III. *Calculi veſicae vrinariae non radicaliter curantur, niſi Operatione.*

IIII. *Phrenitis plerumque eſt ſymptoma aliorum morborum.*

V. *Officina materiae arthriticae ſunt primae viae.*

VI. *In curatione morborum exanthematicorum, interdum ad febrim reſpiciendum eſt.*

VII. Depressio cataractae extractioni longe est postponenda.

VIII. Quemlibet parochum ruralem, ad sanandum aegrotos, inhabilem esse contendo.

VIIII. Anima post corporis mortem rerum praeteritarum immemor est.